



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 198. Ex quo Breviario officium sit recitandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

ter, putat *Castrop.* T. 7. d. 2. p. 2. n. 14. & addit fore mortale, si fiat aliquoties, quia est contra Ecclesiae latinae consuetudinem; *Hurt.* innuit tunc peccari venialiter, si ob defectum intelligentiae desit perfecta expressio. Quod attinet ad linguas alias, putat *Hurt.* non peccare eum, qui recitat linguâ vulgari, ubi Biblia vulgaria permittuntur, quia adhuc quoad substantiam est eadem oratio, nec invenitur expressa prohibitio Ecclesiae circa hoc, qualis tamen est circa Missalia & Missas, ne linguâ vulgari imprimantur.

Q. 198. Ex quo Breviario Officium sit recitandum. R. 1239

§. I. Ex proprio suae diocœsis aut sui Ordinis, vel si utatur Romano, ex illo, quod recognovit *Vrb. VIII.*: Putat tamen *Tamb.* in Decal. l. 2. c. 5. §. 2. n. 3. aliquem adhuc posse recitare ex antiquo *Pii V.* vel *Clementis VIII.* quia *Vrb.* expressè addit in bulla, *nolumus tamen his litteris Breviaria & alia prædicta, quæ impressa sunt hætenus, prohiberi, sed indemnitati omnium consulentes, tam typographis & bibliopolis vendere, quàm Ecclesiis, Clericis aliisque retinere, atque iis uti Apostolicâ benignitate permittimus & indulgemus.* Unde non video, cur dubitet *Gob.* in Exp. T. 5. n. 601. in app., dicens quod *Urban.* graviter vetet, ne hymni etiam privati dicantur, nisi correcti, id enim non vetat, sed tantum vetat, ne imposteriorum edantur incorrectè, & si edantur post 25. Jan. 1631., hoc ipso prohibet.

§. II. *Nav. Rodrig. & Bonart.* l. 2. c. 12. m. 2. dicunt posse aliquem, v. g. Monachum, scilicet dicere Maturinum ex Romano, reliqua ex proprio Breviario, sed *Gob.* n. 598. meritò contradicit, quia sic fit confusio contra formam orandi præscriptam: si ta-

1240

Si tamen quis habeat duo beneficia in diversis diocesis, potest, ubicunque sit, uti vel Romano vel proprio alterutrius Diocesis, quo volet: imò secundum *Neuss.* potest partim ex uno partim ex altero sumere, v. g. Lectiones proprias; & hoc probabile esse agnoscit *Gob. n. 599.*, quia per id non fit confusio.

1241

§. III. Plures cum *Tamb. n. 33.* dicunt eum peccare mortaliter, qui obstrictus & potens recitare more Romano vel Diocesis suæ, recitat, etiam unico die, more alienæ diocesis, quia *Pius V.* expressè dicit eum non satisfacere, *qui sua Ecclesia orandi formam non custodit*: Negant tamen hoc *Nav. Regin.* aliique cum *Diana p. 2. T. 12. R. 10.* quia hæc videtur esse parva mutatio, unde si quis obstrictus recitare more suæ Ecclesiæ recitet privatim uno vel altero die, imò secundum *Sc* si recitet quodcumque volet more Romano, non peccat, quia conformat se Ecclesiæ omnium Matri, *Tamb. supra.* De Religiosis tamen plerique id negant cum *Tamb. n. 38.* contra *Dianam supra*, quia hi vi professionis suæ tenentur ad ritum sui Ordinis. abstrahendo ab omni diocesi. An verò possit Religiosus, v. g. Carmelita, aut alius Sacerdos secularis recitare ex Breviario Benedictino, dissentiunt *Diana p. 7. T. 11. R. 8.* & *Caram. in Theo. fund. à n. 2505.* & iterum à n. 2513. Item si non haberet nisi Breviarium alieni ritus, v. g. Carmelita Benedictinum, an teneretur ex hoc orare, fusè discutit *Gob. à n. 603.* & iterum n. 624., qui cum aliis negat teneri, sed probabile est teneri, quia videtur adhuc implere substantiam præcepti.

1242

§. IV. Quamvis *Vrb. VIII.* statuatur nemini licere Breviarium &c. imposterum imprimere, nisi facultate in scriptis acceptâ à locorum Ordinariis, cujus

cujus facultatis exemplum etiam initio vel fine vult
 adijci, prohibens Breviaria impressa sine prædicta
 facultate, tamen Breviaria, quæ ista non habent in
 se impressa, non videntur ideo esse prohibita, nam
 poena prohibitionis tantum imponitur Breviariis
 sine facultate Ordinarii impressis, ex hoc autem,
 quod omittatur testimonium vel impressio illius
 facultatis, aut etiam Bullæ *Vrbani*, non sequitur
 esse impressa sine facultate, imò si præferant titulum,
 Breviarium &c. *Vrbani VIII. auctoritate reco-*
gnitum, & edita sint in loco Catholico, præsumen-
 dum est adfuisse facultatem, quia imprimens præsu-
 mi non potest id sub gravibus poenis injunctum ne-
 glexisse, aut certè dicendum est Bullam *Vrbani* in
 eo rigore non fuisse receptam, aut jam defuisse eum
 rigorem, postquam Breviaria toties ad normam
 primæ impressionis Romanæ sunt recusa.

Q. 199. *Quale Officium sit recitandum.* R. 1243

§. I. Generatim loquendo recitari debet pro-
 prium, id est, ex Breviario, quo tenetur orare, & de
 die, quâ orat; & eo ritu, qui præscribitur. Ritus
 duplex & semiduplex habet utrasque Vesperas: sim-
 plex incipit à primis Vesperis in Capitulo & claudi-
 tur cum Nona; similiter B. Virginis in Sabbatho;
 simplex & de Sabbatho habent in Matutino psalmos
 feriales, reliqua sunt festiva, uti in semiduplicibus:
 Feria habet totum à Matutino ad Completorium
 inclusivè: Vigilia à Matutino clauditur cum Nona:
 De B. Virgine in Sabbatho fit semper extra Adven-
 tum & Quadragesimam, nisi occurrat Vigilia, 4. tem-
 pora, vel Festum 9. lectionum, aut nisi fiat de Do-
 minica alioquin omittenda.

§. II. Omnis Clericus, sive regularis sive sæcula- 1244
 ris existens etiam pluribus annis alibi tanquam ad-
 vena, potest recitare Officia, quæ recitaret in patria
 sua,

Rr

sua,